RERVM FRISICARVM HISTORIAE LIBRI X.

Ad Illuſtrem ac generoſum dominum D. ENNONEM, Comitem & Dominum Friſiæ Orientalis, &c.

Autore
VBBONE EMMIO FRISIO GRETHANO.

Auctore damnato. Opus cum expurgatione permissum

Està conforme al expurg.º de 632

Andres Alendoff

Esta conforme el expurgatorio de 1640 por comision del S.to officio.

Bibl.ª

FRANEKERAE,
APVD AEGIDIVM RADAEVM
Ordinum Friſiæ Typographum.
CIↃ. IↃ. XCVI.

Coll. Soc. Iesu Salm. ex dono Regentis

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

Autor Lectori.

HOSCE commẽtarios rerum noſtratium iam ante triennium editioni pararam, & ad Typographum Francofurtum miſeram. Intereà incidente impedimento, quo minus tum ſtatim prelo darentur, diuerſis iactati caſibus, & hic illic adhæreſcentes vix tandem ante menſes aliquot ad me ſunt reuerſi: Et ego quoque intermedio tempore ſedes meas in alium locum transtuli. Vnde factum, vt qui Cisamaſani mihi in Commentarijs nominati ſunt, reſpectu ſedis prioris, ac natalis ſoli, iam ratione domicilij præſentis Transamaſani eidem mihi nominandi videantur. Quod cùm perplexum me haberet denuò nunc publico permittere, & Typographo tradere eoſdem parantem, tandem viſum, omnia relinquere eo modo, quo primùm ſcripta, & ad typographum antè data fuerunt. Itaq; & illa, quæ iſtuc pertinent, & epiſtolam dedicatoriam, & alteram ei ſubiectam ad lectorem, & totum deniq; exemplar, quale tum fuit, ſine vlla mutatione hîc exhibeo. Tantum, genere, doctrina, virtute, honore ampliſsimi & clariſſimi viri carmen in fronte addidi; & familiarum aliquot illuſtrium tabulas genealogicas omiſi, quæ per memoratos ſuprà exemplaris caſus mihi interierunt: deniq; octauo, nono, decimo libro adiecta nonnulla, aut latiùs expoſita. Hoc te, Lector, monere hîc volui. Eundem verò etiam atque etiam rogatum volo, quiſquis es, ſi qua hîc legis fortaſſe, quæ minus grata erunt animo tuo, ne proptereà mihi ſuccenſeas. In rebus humanis quid quæſo prorſus, ἀναμάρτητον? quæ cauſa hominum tam bona, in qua non aliquando aliquid vitio eorum, qui cauſ

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

LIBER PRIMVS.

PAtria mea res ab aliquot repetitas ſeculis, tenebriſq;, quibus penè merſa iacent, erutas, bono publico breuiter expoſiturus, atq; ab iniuria obliuionis vindicatas poſteris etiam proditurus, nō abs re arbitror me facturum, ſi prius, quæ vniuerſæ terræ Friſiæ magnitudo, qui ſitus, quæ facies, quod loci ingenium, qui populus & populi mores, ac inſtituta, quanto poſſum compendio, expediam. Moleſtum ſanè opus, & quod ſplēdeſcere nequit, tum, quod minuta per ſe ſunt pleraque, quæ dicenda ſunt, tum quòd verbis vtendum multis, ſi res intelligi rectè debet, quæ niſi nimis detorta, à Latino ſermone plurimū abhorrent: tale tamē, quod nec ingratum, nec inutile, patriæ præſertim, cui noſtra poſt Deum debemus, futurum exiſtimo.

Igitur Friſia omnis, quæ eo nomine ab initio regni Francici ad hoc vſque tempus cenſetur, Germaniæ Septentrionalis regio, longiſſimo ſpacio ab Hol-